



# AD MOYSEN ET MA-

XIMUM ET CAETEROS CONFESSORES,

DE LAVDE MARTYRII.



**E**T SI INCONGRVENS est fratres charissimi in hoc fauore dicēdi aliquid trepidationis adferre, minimeq; deceat gloriam tantæ deuotionis infringere, ex eo quod fatear me cœpisse dubitare, tamen idētidem dico, ipsa animum delibereatione confringam: exequendæ laudis cupiditate succenditur, & ad loquendum magnitudine uirtutis inhihetur. Cum autem non deceat tacere, aut periculosum sit parum dicere, nisi quod hæc æstuanti, res sola subuenit, quod uideatur ei facile ignosci posse, qui nō timuit audere. Quam ob rem charissimi fratres, & si potentia dei oneratur facultas ingenij, ut quanto se in exprimenda martyrii dignitate protulerit, tanto ipso pondere laudis oppressa, atq; æstimatione rerum omnium, de quibus cum maxime loquitur, debilitata ac fracta, intra seipsa in laqueata oratione deficiat, nec habens liberis, ac solutis in apertū sermonis eloquiū uim tantæ laudis expromat. Tamē erit aliqua nisi fallor in eloquēdo fides, quæ ipsius operis oratione munita uage fundat, quod dicendo impar ingenij conscientia cōmoueat. Cum igitur fratres charissimi tot tātisq; rebus impliciti, ad comprobandos salutis eximios pulcherrimosq; prouentus, omni studio ac labore nitamur, ne quo ignauitæ metu territus, uel reuocer, uel extinguar, cum si quis ad id uoluerit, de quo agimus, intueri, se deuotionis expensa, atq; ipsa eius magnitudine ponderata, magis miretur audire potuisse, in quo me positum & amplitudo rei premeret, & confusam gaudio mentem in angustias animi uoti sui feruor urgeret. Nam & quis est quem non ista res terreat? Quis non admirationis suæ pauore subuertat? Est etenim profecto, nisi fallor, & iam in ipso conscientia rubore admiranda formido, quæ nos exagitet pariter & inflammet. Cuius quāto penitus inspexeris potestatem, tanto ex ipso uenerandæ claritatis aspectu religionis suæ præmittat honorem. Considerare enim utiq; debetis, quanta est gloria uita, qua licet macula sordis & polluti corporis, licet modice inusta contagia, tantoq; temporis mundi crimen, exceptum unius ictu, remedijs expiare, quo & augeri merces, & crimen possit excludi. Vnde omnis cōsummatio & status uitæ in martyrio est conlocatus. Hoc fundamentum uitæ & fidei, hoc præsidium

V 2 salutis,